

m Isai. 66. 11. Qui pontis fortunæ mentis super eam. n Fusus hæc omnia in Comment. super Isai. profectu sumus. o 4. Red. 23. 8. Et destruxit aras portarum in introitu ostii Josue Principis Civitatis. p Ibid. ver. 11. Absulit quocumque equos, quos dederunt Reges Judæ Soli in introitu Templi Domini. Currus autem Solis combussit igni.

Mensas etiam in triviis Meni [m] ponebant, adjectis libationibus; qui sanè mos apud Græcos obtinebat, quibus non ignotus ritus consecrandi mensas Hecati singulis mensibus ineuntibus, omnis captandi gratiã (n). Portarum aras evertisse Josiam (o), in Libris Regum legitur; quas aras positas in introitu ostii Josue Principis Civitatis, ibidem exprimitur. Suus etiam cultus Apollini portarum Præsidi. Equos & currus ante fores Templi Domini, Soli consecratos, (facile munus Regum Josie decessorum) quas idem Josias subvertit (p), Apollini portarum præsi addictos facile credimus.

Tales erant Dii Phœnicum, de quibus in Libris Regum & Prophetarum, usque ferè cæremoniis delectabantur: quæ in unum collecta locum omnia, & Authorum veterum parallelis illustrata non inviti Lectores patientur. Ezechiel (q), & Author Libri Sapientiæ culta (r), pariter à Judæis insinuat vilissima quæque animalia, ut muscæ & pisces, in Hebræo Beelzebub & Dagon; de quibus fusiùs in Dissertatione de Numinibus Philisthæorum ad Libros Regum.

q Ezech. 8. 10. Et ingressus vidi, & ecce omnium similitudo reptilium & animalium abominatio, & universa Idola domûs Israel. r Sapient. 12. 8. 23. 27.

HISTORIA

GENTIUM JUDÆIS FINITIMARUM, Illustrandis Vaticiniis ad eas spectantibus.

NON intra limites tantum ditionis Judæ & Israël Prophetæ Domini sese continent, sed ad finitimas Judæorum gentes quandoque Vaticiniis suis excurrunt; sive obliquè tantum, cum scilicet res Judæorum cum historia ejusdem gentis implicarentur; vel directè, si forte idem cum populo Dei fœdus, vel suscepta in illos expeditio minas sive instructio à Prophetis exposcerent.

Sicut igitur in fronte Majorum Prophetarum historiæ conspectum dedimus maximatorum Orientis Imperiorum, quantum ad res Hebræorum spectarent, persuasi frustra sensum Prophetarum explorari, nisi priùs idea quadam illorum conciperetur; ita planè novam aliquam hinc, necessariam tamen ad minorum Prophetarum interpretationem historiã Philisthæorum, Phœnicum, Idumæorum, Ammonitarum, Moabitatum, Syrorum, quantum tamen rara monumenta illius historiæ hodie extantia permittunt, describendam aggredimur.

Totum autem Opus ducemus non ex Authorum tantum Prophanorum testimonio, apud quos rara de his gentibus, sed etiam ex historia Sacra & Prophetis, apud quos plura. Quod autem historiæ deerit, sive de rerum varietate sive exactiore rerum descriptione, illud abundè supplebitur ex certa rerum, quas trademus, fide, utpote ex certis fontibus derivatâ.

Spectabunt in ea historia Lectores magnas rerum vices, quanquam parum exactè in veteri historia, qualis nostræ ætate superest, expressas; integras gentes edomitas priùs, ac deinde cervicem excusso jugo erigentes; captivas in regionem extraneam deductas, ac deinde post plurimum annorum servitutem liberatas post li-

miti jure propria repetentes; Regna olim florentissima postea deserta aded & deleta, ut ne vestigium quidem, nec antiquitatis monumentum illorum appareat. Hæc veterò omnia pluribus ante sæculis Prophetarum Domini Oraculo prænuñciata, quorum Oraculorum fides (utpote quæ cum vaticiniis Messæ implicita essent) rerum futurarum oraculis certam fidem adstruit, certumque & inconcussum pro nostra Religione efficit argumentum.

In ipso verò historiæ nostræ limine operæ pretium est animadvertere, Reges Ninive & Babylonis, alio nomine Assyriæ & Chaldææ, aliud bellandi genus, quam quod apud nos, observasse. Terrorem & desolationem quâ latè patebat hostium ditio, inferebant; translatoque devictæ regionis incolæ, in alias terras veluti colonias deducebant. Ita factum à Theglathphalassar, Salmanassar, Nabuchodonosore cum gentibus, de quibus in præsentia, novimus. Aliam bella gerendi rationem Cyrus sequutus est; moderatè enim & benignè devictas gentes habuit, ut in Scriptura Principis modesti, justi, æquissimi elogium mereatur (*). Quin & propria repetere ferè omnes eas gentes permisit, quas decessores sui in Transsepulturem traduxerant. Regressum Hebræorum in proprias regiones disertissimè in Sacris Libris legitur; sed & eodem privilegio alias etiam gentes donatas fuisse indicemur.

* Isai. 46. 2. 10.

ARTICULUS I.

De Philisthis.

Philisthæi gens erat aliunde in Chananam deducta. Ex Insula Capthor accivit Scriptura (s); quo nomine designa-

s Gen. 10. 14. Jerem. 47. 4. Amos 9. 4.

t Vide Nosh. Distor. de Origine Philisthæorum ad Lib. Reg. u Deut. 2. 23. x Gen. 20. 18.

gnatam credimus Cretam in Mediterraneo (t). Ezechiel 25. 16. & Sophonias 2. 4. Cretim sive Cretenses appellat. Inde digressi, pulsus Hevæis coactisque in ulteriora Arabiæ sese recipere, eorum regionem occuparunt (u). Valida erat fortisque natio in Palestina Abrahami ætate, munitissimis Urbibus & Regibus suis potens (x); unde facilis conjectura, jam inde à multis sæculis in eandem regionem transmissa.

Inter populos anathemati devotos à Domino, & quorum ipse regionem Judæis permisit, Philisthæorum nomen nusquam legitur; erat enim gens à maledicta Chananitarum progenie aliena. Non secus tamen ac gentes alias, jussus à Domino Josue illos aggressus est (y), quod scilicet concessam Hebræis regionem occuparunt; crimumque ac scelerum merito eandem in suum caput ultionem provocaverant, quam Amorrhæi & Chananæi (z). Verùm non multum illis incommodi arma Josue intulisse, vel si multum, brevè propria recepisse Philisthæos ex eo intelligimus, quod sub Judicibus, & Regno ineunte Davide, Regibus etiam parebat Natio, totamque ditionem in quinque Satrapias veluti totidem provincias & modica Regna distinguebatur.

y Josue 13. 2. 3.

z 5. 1. 2. 23. 4. 22. 23. 24.

a Judic. 3. 31.

b Judic. 10. 6. 7.

c Judic. 11. 12.

d Judic. 14. 1.

e 1. Reg. 4. 5.

f 1. Reg. 7. 3.

g 1. Reg. 17.

h 1. Reg. 28. 31.

i 2. Reg. 5. 7.

8. 1. &c.

In Judicibus legitur, 600. Philisthæos (a) Sagar strido vomere occidisse. Aliquibus post annis Philisthæi & Ammonitæ junctis simul armis Israelitas oppresserunt (b). Ammonitarum tyrannidi in ordinem redigenda; Jephthè à Domino ex-citatus est (c); in Philisthæos verò Samson arma tractavit (d). Ab eo viro, dum viveret, in officio detenti, ejus etiam morte iniquissima tolerarunt; eodem enim cum illo fato occisi sunt viri quicumque ejusdem gentis amplissimi. Nequidquam tamen; nam Heli summo Sacerdote, sub Judice Samuele, & ineunte Saule, plura Judæis mala intulerunt. Sub Heli ingenti victoriâ fuis Hebræis, Arcâ Domini inter captivorum spolia positi sunt (e). Verùm sub Samuele Israelitæ imploratâ à Deo criminum suorum veniã, jussu ejusdem Prophetæ in Philisthæos moventes, ejus precibus illustrem victoriam reportarunt (f).

Quæta deinde omnia usque ad Saulem ineuntem. Ille pluribus victoriis fractos Philisthæos nunquam tamen continere aded valuit, quin identidem regioni Hebræorum sese superfunderent. Inter eas victorias jure meritoque celebratur illa, cum David Gigantem Goliath obrunca-vit (g). Ex eo tempore ab armis in Israelitas inferendis abstinerunt; quanquam non ita mansit quæta gens Judæis infestissima, ut ab hostilibus omnibus cessaret. Tandem Saul armorum Philisthæorum pondere oppressus, ipse cum filio suo in prælio ad Gelboe necatus, illustriorem illis victoriam effecit (h).

David statim ab inito Regno nec quietam provinciam reddere, nec Philisthæos ad subeundum jugum solvendumque tributum (i), nisi post plura bella & victo-

rias cogere potuit. Semel igitur subjec-ti, in fide manserunt sub Salomone cæterisque post illum Regibus Juda, usque ad Joram filium Josaphat. Rex ille (*) capere in Philisthæos arma, sive quod ab ipso primùm sive à Josaphat patre suo rebellassent, coactus est; illud enim constat, Philisthæos auxiliare copias duxisse Ammonitis, Moabitis cæterisque fœderatis gentibus in prælio adversùs Josaphat, de quo Psalmus 82. & 2. Par. 20. 1. 2. 22.

Iterum cervicem erexerunt sub Ozia Rege Juda, à quo sub jugum redacti, in fide eo rerum potente manserunt (k). Profratris rebus Juda sub Achaz, Philisthæi ad cumulum malorum accesserunt, regionem fœditissimè excurrentes (l); sed Ezechizæ ejus filii armis iterum ad officium redire (m). Sub Manasse, quantum conjicimus, cervicem denudè erexerunt, atque labentibus Regum Juda annis, Philisthæos alieno Imperio neglecto, suo arbitrio regi voluisse satis intelligimus. Neque Hebræorum jugum detrectasse tantùm visi sunt, sed etiam Chaldæorum Orientis Imperium tenentium recularunt.

Plurima illis mala denunciant Prophetæ Isaias (n), Amos (o), Sophonias (p), Jeremias (q) & Ezechiel (r), quod scilicet iram in se Dei provocassent, horrenda plurima in populos Juda, dum proftrate essent illorum res, exercentes. Eam pariter crudelitatis accessionem fecerant, ut ductos ex Juda captivos Idumæis infestissimis populi Dei hostibus vendidissent.

Sub ea tempora Psammethicus Rex Aegypti in illos movens, Azotum post longam 29. annorum obsidionem cepit (s). Nechao, qui post illum regnavit, ab expeditione Carchemise redux, jure armorum subegisse gentem fertur. Sargon sive Assaradon Rex Assyriæ, iterum armis Tartan Ducis sui (t) Azotum expugnavit. Post captam Jerusalem, Nabuchodonosor perseverante Tyri obsidione, quæ tredecim annis duravit, factâ copiarum divisione, Philisthæos cum aliis finitimis gentibus ditioni suæ adjecit. Non obscure in Scriptura [u] eorum captivitas sub Chaldæis, restitutaque sub Cyro libertas legitur. Ita eandem ferè vices ac Judæi populus subivit. Post eversum Imperium Chaldæorum Philisthæi, sicut & Judæa universa, in fide Regum Persarum, ad quos Imperium Babylonicum translatum, manserunt. Alexander Magnus gentem subiegit, & Urbem Gazam solam inter cæteras ejus gentis sibi resistere ausam evertit (x). Eo defuncto divisioque ipsius Imperio inter Principes, Palestina modò in partem Regum Aegypti, modò Syriæ, pro forte belli cessit; victoriis enim prædam Philisthæi, sicut etiam Judæi, semper auxerunt. Post persequutionem ab Antiocho Epiphane in Judæos motam, cum Asmonæi sive Macchabæi, occasione divisionis rerumque Syriæ & Aegypti affectarum captatâ, arma cœpissent, regionem Philisthæorum aggressi sunt, quorum varias singillatim Urbes ab illis evulsas suæ ditioni adjecerunt. Tryphon junio-

* 2. Par. 12. 11. & 1. Par. 20. 1. 16.

k 2. Par. 26. 6. 7.

l 2. Par. 28. 18.

m 4. Reg. 18. 8.

n Isai. 14. 28. o Amos 1. 6. 7. 8.

p Sophon. 2. 4. 5.

q Jerem. 47. 1.

r Ezechiel 25. 15.

s Herodot. 1. 2. c. 157.

t Isai. 20. 1.

u Isai. 12. 14. 15. 16. & 25. 11. &c. & 27. & 50. 16.

x Arrian. lib. 2. de exped. Alexan. Strab. Geograph. 1. 16.